

169. Cum tonna me dimergite,  
Ad abyssum transmittite;  
Hac arte me confundite.  
Sic peream me iudice.'
170. 'Fiat tibi,' tres inquit,  
Hoc mentes nostrae cupiunt,  
Ut tali morte pereas,  
A nobis ut sic exeas.'
171. Nectunt loris unibovem  
In terra detestabilem,  
Qui postquam tonna clauditur  
In ripa maris sistitur.
172. Clausus sic fatur unibos,  
Magis seducens tres viros:  
'Confiteor hic hodie,  
Reclusus sum justissime.
173. In agone iudicii  
Sic constitutus ultimi,  
Propter diem novissimum  
Deponite nunc odium.
174. Miser manus erigere  
In hoc non possum carcere,  
Heu, lumbos vexant brachia  
Per maledicta vincula.
175. Pietatis viatico,  
Apothecae spiraculo  
Mendacium non profero,  
Caritatem pronuntio.
176. Bis seni sunt denarii  
In fundo mei oculi,  
Quos bibite, piissimi,  
Ad honorem summi dei.'
177. Caritativus presbiter  
Fatetur temporaliter: